

terræ suæ, & terris, & villis, locis, quæ, & quas detinent vassalli, & districtuales, seu quoquo modo, vel loco per homines Alexandria, & districtus, & per homines castrorum, locorum, villarum, quæ per Alexandriam detinentur, & communi Alexandria fodrum, dactum, seu collectam communi Alexandria præstant, vel præstare tenentur, & habitantes, & reducentes, seu qui reducent in eisdem, & inde dictus Potestas, Consilium, & Consiliarii hanc cartam fieri jusserunt. Interfuerunt testes Ma-
nuellus de Mercello, Florius Cirimellus, & Gandulphus de Fiblinis. Ego Rufinus de Burgo Not. ec.

Juramentum Sindici capituli Aquensis parendi mandatis nuncii Archiep. Mediolan.

233

MCCLXVII.

Anno Domini MCCLXVII., indictione X., die Veneris XXVIII. mensis januarii. In præsentia testium infracriptorum D. Petrus canonicus, & sacrista Aquensis, & syndicus, & procurator, actor, & nuncius capituli Aquensis, sicut continetur in instrumento facto a Bonfilio notario Anno Domini MCCXLVII., indictione X., die lunæ 8. januarii juravit stare mandatis Ecclesiæ, & obedire præceptis, & mandatis D. Johannis Quaglati canonici Astensis, actoris, procuratoris, & nuncii P. Archiepiscopi Mediolanensis, sicut continetur in literis ipsius D. Archiepiscopi authenticatis per me Henricum Fornarium, tenor quarum literarum inferius
annotatum est, & quia prædictum capitulum, & clerici Aquenses excommunicati fuerunt &c.

Capitula in quadam causa Canoniorum, ubi plura de horum juribus in Ecclesiam S. Johannis suburbii Aquensis.

234

MCCLXXII.

Anno Dom. MCCLXXII., indictione X. XVIII. Octobris in majori Ecclesia Oberto Rabia Dim. Ramæ, & D. Morando de Porta testibus rogatis. D. Arnaldus Benzius judex communis Aquis sedens pro jure reddendo ad instantiam Henrici de Porta Sindaci Ecclesiæ majoris Aquensis præcepit mihi Salvino Notario authenticare omnia capitula, & positiones, quas ipse Henricus voluerit in causa ipsius Enrici nomine Ecclesiæ, & Willelmi Tabitæ tutoris filiorum Guidonis Sartoris intendit hic probare, quod domus Guidonis Sartoris de Burgo, cui coherent via a duabus partibus, Nicolinus Gorglonus, & domus sancti Spiritus, debet annuatim solidos decem ministro S. Joannis de Burgo.

Item quod Ecclesia S. Joannis erat capella Ecclesiæ sanctæ Mariæ majoris Aquensis, & subdita erat dictæ Ecclesiæ majoris, & bona, & jura, quæ erant dictæ Ecclesiæ S. Joannis, seu Ministri ipsius pertinebant dictæ Ecclesiæ majori, seu capitulo, & quod capitulum prædictæ majoris Ecclesiæ in dicta Ecclesia S. Joannis habebat institutionem, & destitutionem tamquam in rem sive Capellanorum, sive Ministrorum, & Clericorum dictæ Ecclesiæ S. Joannis sine requisitione, & consensu Episcopi, vel alterius majoris.

Item quod capitulum majoris Ecclesiæ sanctæ Mariæ Aquensis concessit, & dedit statum, & habitationem fratribus minoribus Ecclesiæ, & ædificiorum S. Joannis, & topiæ, & horti solummodo adjacentium ipsi Ecclesiæ. Reliqua vero bona, & jura, quæ erant Ecclesiæ sancti Joannis, Ecclesiæ sanctæ Mariæ majoris applicuerunt, & retinuerunt auctoritate, & consensu Episcopi sui Electi Aquensis, & voluntate, & consensu Presbyteri Guiberi Ministri Ecclesiæ S. Joannis, & Conradi clerici, & voluntate, & consensu fratrum minorum Testis Belengonus dicit matrem Guidonis dicti condemnatum fuisse ad solvendo decem solidos sub ulmo majoris Ecclesiæ.

Testis Faxana, testis Jardinus, testis Arancus dicit, quod interfuit consilio, ubi fuit ordinatum, & fuerunt positi extimatores ad extimanda bona hominum Aquis; consilium fuit factum in refectorio. Item quod S. Joannes erat capella majoris Ecclesiæ, seu titulus, & quia habuit, & accepit a dicto Presbytero Guibaro pro Domino Archipresbytero Lanfredo, & pro Ecclesia majori dandum quoddam pro collecta Episcopi; & quum Cappellanus majoris Ecclesiæ erat absens, tunc mittebant Canonici ad ipsum Presbyterum Guibarum, ut veniret ad dicendum missam, & ad christianandum, & ad bautizandum tamquam Cappellanus. Item testis Mussus Stephanus dicit quod vidit, ubi nunc est ista domus, terram esse vacuum.

Item testis Lotharius præpositus dicit, quia vidit semper dictam Ecclesiam S. Joannis teneri, & possideri ab Ecclesia majori, & nullo mediante hanc instituere Clericos, scilicet Cunradum, & Presbyterum Ubertum de Ponte ponendo in illa Ecclesia taliam, & præcipiendo dicto Presbytero tamquam Cappellano suo, quod veniret ad bautizandum, & ad canendum missam, & ad dandam poenitentiam, & ipse obediebat ei tamquam Cappellanus, & concesserunt Canonici fratribus minoribus, ut starent in Ecclesia illa retinendo in se omnes redditus Ecclesiæ illius, & per viginti annos, & plus vidit illa, & cum esset puer veniebat una cum Uberto Presbytero ad Ecclesiam majorem, & adjuvabat eum canere.

Testis Rufinus Canonicus dicit, Canonicos ante decem annos posuisse Cunradum Clericum sine requisitione Episcopi in illa Ecclesia; & quod est subdita Canonice, ita quod Presbyter Guibarus veniebat ad Dominum ad bautizandum, & ad canendum Missas, & ad dandum poenitentias, quibus Canonici volebant, & omnia officia Canonice faciebat tamquam Cappellanus subditus Canonice; & quod Canonici imponebant ei taliam, quam volebant Episcopo nesciente pro se ipsis, & Episcopus nil dicebat; & quod illa bona dictæ Ecclesiæ dederunt Canonici D. Willelmo Cappellano ipsius Canonice non condicione Episcopi, & eo tempore, quo fratres Minores instabant ad habendam Ecclesiam sancti Joannis ec. Dicit his omnibus interfuisse, & dationi Ecclesiæ fratribus minoribus, & adfuisse D. Morandum, & fratrem Guilfredum.

Item Lanagius dicit Presbyterum Petrum, & Jordanum dedisse illam domum ad sponsonem pro Ecclesia sancti Joannis, & hoc ante annos 45. De hoc